

Quid et quomodo sacramenta novae legis operantur?

(Continuatio et Finis.)

8. Quid inter sanctificantem et sacramentalem gratiam distet?

Expositâ sacramentorum n. l. efficacîâ, ipsa rei natura postulat, ut eorum in specie effectus eâdem brevi quam ingressi sumus methodo expendamus. Duplex vero sacramentorum distinguitur effectus: gratia scilicet et character; illa ab omnibus confertur sacramentis, hic a tribus dumtaxat imprimitur; illam principalem, hunc secundarium sacramentorum effectum vocat S. Thomas.

Gratia porro, quae per sacramenta confertur, vel est communis omnibus, vel uniuscuiusque propria, quae idcirco sensu strictiore sacramentalis audit.

Iam gratia quam sacramenta omnia ex aequo conferunt, est ipsa gratia sanctificans seu habitualis; quod quidem opere hoc loco demonstrare supervacaneum est, cum omnia tum Scripturae tum traditionis documenta, quae paulo supra ad probandam sacramentorum efficaciam producta sunt, quibusve per sacramenta regenerari, mundari, remissionem peccatorum accipere dicimur, veritatem hanc testatissimam faciant. Quod ipsum Doctor Angelicus¹⁾ luculento non minus quam stringenti complexus est argumento, dum ait: „Manifestum est, quod

¹⁾ P. III. qu. 62. art. 1.

per sacramenta n. l. homo Christo incorporatur; sicut de baptismo dicit Apostolus ad Gal. III: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; non autem efficitur homo membrum Christi nisi per gratiam." Unum dumtaxat, quod ad pleniorē doctrinae huius intelligentiam conducat, adiciam, duplicem nempe distingui gratiam sanctificantem: primam et secundam. Prima ea nuncupatur, quae primum infunditur homini ob peccatum mortale, cui innexus est, omni gratia destituto. Secundam vocant eam, quae gratiam sanctificantem iam adeptam mirum in modum auget: non sunt tamen hae duae ab invicem diversae gratiae, sed saltem eiusdem gratiae diversi gradus. Hinc duo discerni solent sacramentorum genera: alia mortuorum, alia vivorum. Priorum nomine ea veniunt, quae per se directe et ex institutione sua ad hoc sunt ordinata, ut detersâ peccati mortiferi labe gratiam primam conferant iis, qui per peccatum mortui omnis vitae spiritualis sunt expertes; posteriorum vero nomine intelliguntur ea, quae itidem directe et ex institutione sua ad hoc ordinantur, ut gratiâ secundâ seu incremento gratiae, locupletent illos, qui gratiâ sanctificante atque adeo vitâ spirituali iam perfruuntur. Dixi directe et ex institutione sua ad hoc ordinata, ut innuerem fieri posse, ut sacramenta vivorum per accidens primam producant gratiam, et sacramenta mortuorum secundam. Nam iuxta Concilium Tridentinum ¹⁾ omnia sacramenta n. l. non ponentibus obicem conferunt gratiam: quodsi iam adultus per contritionem perfectam iustificatus accedat ad baptismum vel poenitentiam, procul dubio baptismus et poenitentia non conferunt gratiam primam; hanc enim aliunde vi scilicet contritionis habet; conferunt tamen aliquam, cum sacramentum non sit otiosum: haec igitur non alia esse potest quam secunda seu augmentum gratiae. Similiter si quis eo, quo par est, pietatis ac religionis affectu ad sacram synaxin accederet, sed cum peccato mortali, cuius

¹⁾ Sess. VII. can. 6.

interim post diligens examen conscientiam non habet, communio eucharistica primam in eo produceret gratiam sanctificantem. Quamquam vero haec doctrina non sit de fide: est tamen communi doctorum catholicorum probata suffragio, Patrumque nixa auctoritate, quorum effata recensita videre licet apud Suarez ¹⁾.

Omnia sacramenta praeter gratiam sanctificantem insuper conferunt gratiam sacramentalem sive specialia gratiae auxilia pro diversitate finis ad quem consequendum singula sacramenta instituta sunt. Quodlibet enim sacramentum ad proprium sibi et distinctum finem ordinatur, ut ait Eugenius IV in Decreto pro Armenis: „Per baptismum spiritualiter renascimur; per confirmationem augemur in gratia et roboramur in fide; renati autem et roborati nutrimur divina Eucharistiae alimonia,” etc. Ad fines vero hosce varios et adeo distinctos assequendos sola gratia habitualis non sufficit, sed necessaria sunt peculiaris gratiae actualis auxilia. Et sane, si omnia sacramenta ad eundem effectum dirigerentur, superfluum videri posset plura fuisse instituta; suffecturum quippe erat unum, quod semel susceptum primam, repetitum secundam produceret gratiam. — Ceterum gratiae illae actuales ad consequendum finem cuiusque sacramenti necessariae, non conferuntur statim in ipsa susceptione sacramenti, sed eo solum tempore, quo oblata occasio effectum sacramenti obtinendi eas fecerit necessarias, at vero ius morale ad eas suo tempore accipiendas, actu confertur cum suscipitur sacramentum. Fundatur autem hoc ius in promissione Dei, qua se gratuito obstrinxit, ut dignae sacramentorum perceptioni et gratiam sanctificantem et ius ad auxilia specialia adnecteret. Unde in hoc iure, non in ipsis auxiliis consistit gratia sacramentalis; quae proinde a gratia habituali non essentialiter et intrinsece, sed nonnisi accidentaliter et denominative, ut aiunt, differt, estque ipsa gratia habitualis adnexum sibi habens ius ad gratias actuales ad finem sacramenti proprium

¹⁾ L. c.

consequendum idoneas ¹⁾. Neque quis existimet hoc pacto gratiam non amplius esse gratuitam, ad quam ius habetur: non enim ius illud nostris meritis, sed liberali ac prorsus gratuita Dei promissione nititur; nec alter obtinendi auxilii praetenditur titulus, quam fidelitas Dei qui promissis suis deesse nequit.

Ex dictis simul liquet, gratiam sacramentalem in diversis sacramentis diversimode modificari, ratione iuris ad diversas gratias actuales fini cuiuslibet sacramenti respondentes. Sic in baptismo ad spiritualem regenerationem instituto datur ius ad specialia auxilia ad vitam legi divinae conformandam, tum ad digne suscipienda sacramenta alia, quorum baptismus ianua est. In confirmatione praeter augmentum gratiae datur ius ad auxilia ad fidem fortiter et constanter profitendam necessaria. — Eucharistia dat gratias actuales ad caritatem nutriendam, id est, conservandam et augendam. Poenitentia ad efficacius detestanda peccata commissa et praecavenda futura. Extrema unctio ad ferendas patienter aegritudinis molestias, resistendum daemoni, erigendamque fiduciam de divina misericordia. Ordo ad sacrum ministerium rite obeundum. Matrimonium ad officia status coniugalitatis pie ac sancte implenda. Commendatur doctrina haec auctoritate S. Thomae ²⁾. qui pariter non aliam differentiam inter gratiam sacramentalem et sanctificantem agnoscere videtur, dum de confirmatione ita disserit: „Per hoc sacramentum non confertur aliqua alia gratia, quam per baptismum, sed quae prius

¹⁾ Apposite vir doctus in hanc rem scribit: Sie (die besondere gratia sacramentalis) ist im Grunde nichts real Neues, sondern nur die nähere Bestimmung, wie der in den einzelnen Sacramenten eingesenkte Habitus der heiligmachenden Gnade jedesmal actualiter sich auswirken und gestalten wird und soll. In diesem Sinne werden dann freilich durch die Sacramente die mannichfachsten Gnaden und Gaben, je nach den verschiedenen Lebenslagen und den daraus resultirenden Obliegenheiten des Christen, verliehen. Oswald l. c. p. 72.

²⁾ P. III. qu. 72. art. 7 ad 3.

inerat, augetur.” Et rursus ¹⁾: „Gratia sacramentis addit supra gratiam communiter acceptam quoddam auxilium divinum.”

Quae adhuc in scholis hoc loco agitari solet quaestio, eam paucis expediam. Quaeritur nempe: sacramenta eiusdem speciei aequalemne an disparem in omnibus semper producant gratiam? Quis non primâ fronte videat, solutionem a dispositione pendere suscipientis? Quare dubium non est, sacramenta eiusdem speciei aequalem semper conferre gratiae effectum iis, qui aequaliter dispositi ad ea accedunt: nam ubi eadem est causa eodem modo agens, et dispositio ex parte subiecti eadem: effectus quoque idem sequatur est necesse. Opinio Caietani, qui putat, effectum baptismi in parvulis inaequalem esse propterea, quia merita parentum et ministrorum in illum influentia inaequalia sunt, non tantum fundamento caret, sed manifeste falsa est, cum certum sit omnem virtutem sacramentorum ab uno Christo derivari: Hic enim est qui baptizat. ²⁾ Numquid, ait Apostolus ³⁾, Paulus crucifixus est pro vobis: aut in nomine Pauli baptizati estis? — Ex adverso sacramenta eiusdem speciei inaequalem conferunt ex opere operato gratiam iis, qui sunt inaequaliter dispositi; nam Concilium Tridentinum ⁴⁾ asserit baptizatos recipere iustitiam „Secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem.” Ergo iustitia, quae confertur in baptismo (par autem ratio est ceterorum sacramentorum) datur secundum propriam cuiusque dispositionem, ac proinde magis disposito maior iustitia. Deinde causae naturales toto nisu agentes aequalem aut inaequalem producunt effectum pro diversa dispositione seu capacitate subiecti, in quod agunt. Sic ignis intensiorem producit calorem in

¹⁾ Ibid. qu. 62. art. 3.

²⁾ Joann. I, 41.

³⁾ 1. Cor. I, 13.

⁴⁾ Sess. VI. c. 7.

ligno quam in stipula. Atqui sacramenta agunt ut causae naturales et necessariae, quae determinatum quidem habent effectum quoad speciem, non vero quoad intensionem; maior enim illa vis et intensio pendet ex varia capacitate seu dispositione subiecti, et pro hac maiorem vel minorem conferunt gratiam. Neque tamen hinc sequitur maiorem illam gratiam non dari ex opere operato sed ex opere operantis: nam dispositiones illae, ut iam observatum est, non sunt causae effectrices gratiae, sed solum conditiones necessariae in subiecto, ut sacramentum efficax sit ¹⁾.

9. Character.

Alter effectus sacramentorum, non quidem omnibus communis, sed trium tantummodo proprius, baptismi, confirmationis, et ordinis, est character, quo nomine ex recepta in scholis notione venit: signum quoddam spirituale et indelebile animae impressum, quo qui insigniti sunt, ab aliis eo signo destitutis distinguuntur et apti efficiuntur ad aliquid sacri suscipiendum vel peragendum, ut loquitur Catechismus Concilii Tridentini ²⁾; metaphorâ petita vel a stigmate, quod animalibus inuri solet, tamquam nota indelebilis possessoris ³⁾, vel a signo seu tessera militibus data, ut internoscerentur ⁴⁾, quo posteriori tropo frequenter utitur S. Augustinus.

Duo autem sunt quae, cum de caractere agitur, in quaestionem vocari consueverunt: nimirum an eum aliqua sacramenta reipsa imprimant? Et, in quo eius natura sit reponenda? Primum ad fidem spectat, non item alterum.

¹⁾ Honoratus Tournely, Praelect. theolog. T. VI. de sacram. qu. 4. art. 1.

²⁾ P. II. c. 1. qu. 25.

³⁾ Nec minus maiora quadrupedia caractere signari debent. Columella. L. XI, c. 2. — Maturi agni et animalia omnia caractere signentur. Pallad. L. II. c. 16.

⁴⁾ Tacitum dat tessera signum. Silius L. XV, v. 478.

Fide certum est, in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine imprimi characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt. Ita enim a Concilio Tridentino ¹⁾ expressis verbis definitum accepimus. Verum quidem est, ante Concilium doctrinâ hac dogmatice nondum stabilitâ, multa de characterem in scholis disputata fuisse, atque in ipso Concilio, ut refert Pallavicinus ²⁾ plures theologos id egisse, ut articulus de characterem tamquam probabilior adstrueretur: ast omnium harum disputationum cardo non in eo vertebatur, utrum aliqua sacramenta characterem imprimant: sed an hoc de fide sit, cum magistri scholarum non satis perspicua solidaque in Scripturis et traditione eam in rem argumenta deprehendi arbitrarentur. Et tamen iam ante Concilium Trident. eandem de characterem doctrinam iisdem fere verbis tradidit Eugenius IV. in laudato iam saepe Decreto pro Armenis; ante Eugenium Innocentius III. in cap. Maiores, ante Innocentium S. Damascenus aliique Patres graeci aequae ac latini; ut adeo Concilium dogma solemniter pronuntiando, nihil nisi certam constantemque traditionem expressisse censi debeat.

Qui existentiam et realitatem characteris e Scriptura eruere conantur, ea potissimum appellant loca, in quibus signari unguem a Spiritu S. dicimur, uti Ephes. I, 13: In quo (Christo) credentes signati estis Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hereditatis. Et ibidem IV, 30: Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis. 2. Cor. I, 21: Qui unxit nos Deus, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Urgent praeterea loca illa in quibus sacramentis, quae characteristica dicimus, praecipua quadam ratione Spiritus S. promittitur; ut baptismo: Ille baptizabit vos Spiritu S. ³⁾.

¹⁾ Sess. VII, can. 9.

²⁾ Historia Conc. Trid. L. IX. c. 5.

³⁾ Marc. I, 8.

Confirmationi: Accipietis donum Spiritus S. ¹⁾. Ordini: Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata....²⁾. Ceterum quamquam haec et si quae alia proferri solent Scripturae effata, seclusa traditione ad evincendam characteris existentiam decretoria haud esse ultro concesserim, cum ea Patres de interiori per gratiam unctione, in qua pignus est Spiritus Dei et hereditatis aeternae, interpretati passim fuerint ³⁾: attamen iis dogma catholicum saltem insinuari, et prima eius velut rudimenta exhiberi, nemo aequus rerum arbiter negaverit. Tanto vero evidentiora omnique exceptione maiora sunt testimonia, quae veneranda Patrum auctoritas certatim offert. Et enim a) probe distinguunt Patres signum externum sacramenti a signo interno seu characterem, dum hunc peractâ etiam actione sacramentali permanere dicunt. S. Cyrillus hierosolimitanus ⁴⁾: „Magnum sane est, inquit, propositum baptisma, captivitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccatorum, animae regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum et indelebile.” Ubi inter recensitos baptismi effectus numerat signaculum sanctum et indelebile, id est, characterem, qui proin a ritu externo diversus esse debet. — S. Chrysostomus ⁵⁾: „Signati fuerunt etiam israelitae, sed circumcisione sicut pecora et bruta. Nos quoque sumus signati, sed sicut filii Spiritu.” Et S. Epiphanius ⁶⁾; „Illic praescripta corporis circumcisio est, quae in usu tamdiu fuit, quoad ingens est illa circumcisio subsecuta, baptis- mus videlicet, quo nos a peccatis praecidimur et in Dei nomine signamur.” Uterque sanctus Pater circumcisioni confert baptismum, et ab hoc repetit obsignationem seu characterem, tam-

¹⁾ Act. I, 58.

²⁾ Ioann. XX, 20.

³⁾ Vid. Suarez l. c. qu. 65. art. 1. comment.

⁴⁾ Praefat. in Catecheses n. 16.

⁵⁾ Homil. 2. in epist. ad Ephes. n. 2.

⁶⁾ Haeres. 8. n. 6.

quam effectum a causa. — S. Ambrosius ¹⁾: „Etsi inquit specie signemur in corpore, veritate tamen signamur in corde.” An non hic duplex signum, exterius in sacramento, interius in caractere distinguit?

b) Distinguunt Patres characterem etiam a gratia sanctificante, dum affirmant illum amitti non posse, quod de gratia asseri nequit. Item dum contendunt illum in apostatis quoque ac desertoribus permanere. Sic S. Augustinus, quo nemo seu crebrius seu luculentius de caractere loquitur, ait ²⁾: „Tene quod accepisti, non mutatur sed agnoscitur: character est regis mei, non ero sacrilegus, corrigo desertorem, non muto characterem.” Et alibi ³⁾ facta comparatione characteris baptismalis cum nota seu caractere, quo milites notabantur: „An forte, inquit, minus haerent sacramenta christiana, quam corporalis haec nota, cum videamus nec apostatas carere baptismo, quibus utique per poenitentiam redeuntibus non restituitur et ideo amitti non posse iudicatur.” Idem repetit saepe alias ⁴⁾.

c) Docent Patres characterem ita inhaerere animae, ut nullatenus possit deleri, ideoque sacramenta, quae illum impriment, iterari non debere; per illum nos secerni ab aliis: quod quidem iam ex adductis testimoniis satis liquet, ac ex eo vel maxime, quod S. Cyrillus hieros. l. c. baptismum vocet sigillum, quod conatu nullo frangi potest. (*Σφραγὶς ἀνεπιχείρητος*). S. Basilius vero ait ⁵⁾: „Agnosce te nemo nosterne sit an hostium, nisi mysticis signis necessitudinem affinitatemque ostenderis, nisi signatum sit super te lumen vultus Domini. Quomodo vindicabit te angelus? Quomodo eripiet ex hostibus, nisi agnoverit signaculum? Quomodo dicturus es tu, Dei sum, si notas et insignia non exhibeas? An ignoras exterminatorem

¹⁾ Lib. I. de Spiritu s. c. 6.

²⁾ Tract. VI. in Ioann. n. 16.

³⁾ Lib. II. contra epist. Parmeniani c. 13.

⁴⁾ Lib. VI contra donatist. c. I. — Epist. 23. n. 7.

⁵⁾ Homil. 13 in s. baptism.

domos signatas praeteriisse, in his vero, quae signatae non erant, primogenita occidisse?" — Supersedeo ulterioribus, quae quidem accumulare in promptu esset, testimoniis insistere. Id solum brevissime adnotare liceat, praeunte S. Thoma a scholasticis et theologis superioris aetatis triplex potissimum officium characteri assignari: nempe ut eo veluti signo quodam accepto fideles ab aliis et inter se distinguantur; tum ut apti reddantur ad cultum divinum, praecipue ad res sacras percipiendas vel administrandas, ac per hoc Christo configurentur. Omnis enim illa potestas spiritualis, quam character involvit, participatio quaedam est potestatis illius, quae Christo summo aeternoque sacerdoti est propria, atque ab illo derivatur in fideles. — Cur autem tria tantum sacramenta, baptismus, confirmatio, ordo imprimant characterem, ea potissimum ratio esse videtur, quia in his per specialem consecrationem homo novam cum Christo ingressus relationem, statum quodammodo mutat, ideoque novum accipit signaculum. Nam ut Estius ¹⁾ dicit: „In baptismo datur character civitatis seu familiae Christi; in confirmatione character militiae christianae; in ordine vero character potestatis seu ministerii ecclesiastici.”

Vindicato dogmate, quod solam existentiam respicit characteris, superest ut in naturam eius inquiramus, de qua cum ecclesia nihil definiendum duxerit, amplissima theologis patuit occasio suae in excogitandis hypothesibus foecunditatis periculum faciendi: variae hinc enatae opiniones, quarum aliquas delibare iuvat. Durandus ²⁾ censet characterem non esse aliquid reale, sed meram relationem rationis seu denominationem extrinsecam, per quam ex institutione divina deputatur aliquis ad sacras actiones, eodem fere modo, quo magistratus ad aliqua deputatur officia, solâ principis destinatione. Eo autem potissimum nititur argumento, quod hoc sufficiat ad quemcumque

¹⁾ In IV. Dist. I. paragr. 20.

²⁾ In IV. Dist. 4. qu. 1.

finem characteris, facileque intelligatur: ex adverso si character aliquid reale dicatur, id obscurum sit et vix explicari possit. Verum sententia haec undique impugnata et reiecta fuit. Ex communi enim Patrum et ecclesiae loquendi usu character dicitur imprimi, inhaerere animae, esse signum spirituale et indelebile, quae omnia nonnisi valde improprie praedicari possunt de relatione rationis, et denominatione mere extrinseca. Dein cum ex quolibet sacramento oriatur relatio idealis sicut et denominatio mere extrinseca, stante Durandi sententiâ sequeretur quolibet sacramento imprimi characterem. — Scotus ¹⁾ existimat characterem esse quidem aliquid reale, non tamen absolutam qualitatem, sed relationem realem extrinsecus animae advenientem velut effectum sacramenti; multusque in eo est, ut ostendat dari relationes reales per actionem agentis productas. Sed huic sententiae id maxime refragatur, quod nullum relationis huius assignari queat fundamentum; non enim illius fundamentum dici potest anima: nam tum omnes haberent characterem, quicumque animâ sunt praediti; non gratia aut dona supernaturalia, quia etiam sine his imprimitur character illis, qui cum obice sacramentum suscipiunt; non demum actio sacramentalis, quia haec transit caractere remanente. His itaque opinionibus reiectis, velut insufficientibus ad rem, de qua agitur declarandam, communis in scholis invaluit sententia: characterem esse qualitatem supernaturalem realiter ab anima distinctam, eique divinitus infusam: namque (ita ratiocinatur Suarez ²⁾) „ut anima interius consignetur realiter et intrinsece, necesse est, ut aliqua res absoluta illi imprimatur, quae sit signum, seu res ad significandum imposita: quia sola relatio signi non potest immediate imprimi aut per se fieri aliqua actione, ut constat ex generali ratione relationis.” Et sane si character sacramentalis non est mera relatio seu idealis seu realis, sequitur ut

¹⁾ In IV. Dist. 6 q. 10.

²⁾ L. c. . . art. 2.

sit aliquid reale et absolutum: nil enim aliud superest; nec nisi eiusmodi reali posito intelligi possunt sensu proprio et nativo verba ecclesiae. Illud itaque ratum plerisque fuit, characterem esse qualitatem realem. Sed cum ex placitis philosophiae aristotelicae categoria qualitatis plures contineat species, indagatum porro fuit, ad quamnam earum character sacramentalis revocandus sit, et rursus in diversas itum est partes. S. Thomas ¹⁾ et plerique eius auctoritate ducti, characterem dicunt esse potentiam spiritualem; Suarez ²⁾ dispositionem seu habitum, hancque suam sententiam prolixa disputatione tuetur. Quaesitum etiam fuit, ubi proprie character in anima resideat? Bellarminus ³⁾ rem breviter expedit scribens: „Characterem aliqui ponunt in intellectu, ut necessarium ad exercendos actus intellectus. Alii ponunt in voluntate; quia putant disponere ad caritatem, quae est in voluntate. Alii ponunt simpliciter in substantia animae, et hoc videtur verius, quia non est habitus vel potentia operativa; unde Concilia Florentinum et Tridentinum dicunt imprimi in anima.”

Silentio praetereunda non est sententia, quam nuper vir praeclarus ⁴⁾ ad declarandam characteris naturam protulit in medium. Putat is characterem indolis esse charismaticae, qui quum ut talis hominem Deo gratum haud faciat, obice nil obstante conferri, et amissâ etiam per peccatum gratia sanctificante subsistere possit, volenteque Deo subsistat quoque. Licet autem character sit aliquid a gratia distinctum ac independens; intimam tamen cum hac habet relationem, estque eius veluti

¹⁾ „Divinus cultus consistit vel in recipiendo aliqua divina vel in tradendo aliis. Ad utrumque autem horum requiritur quaedam potentia: nam ad tradendum aliquid aliis requiritur potentia activa, ad recipiendum autem requiritur potentia passiva. Et ideo character importat quamdam potentiam spiritualem ordinatam ad ea, quae sunt cultus divini.“ P. III, qu. 63. art. 2.

²⁾ L. c. art. 4. disput. 11. sect. 3.

³⁾ L. c. L. II. c. 19.

⁴⁾ Oswald, Die dogmatische Lehre von den heil. Sakramenten. I. Bd. p. 80 sqq.

substratum, ita ut dum positâ actione sacramentali Spiritus S. in animam humanam agit, cum caractere simul gratia conferatur, quae quidem si suscipiens rite dispositus sit, laete se se explicat vigetque: at sacramento cum obice suscepto, ἀνεργής est, et in statu latenti et velut ligato torpescit, sublato nonnisi obice revictura. Character ergo semper praesto est, nec ullâ re impediri potest, quominus imprimatur et persistat: gratia vero tum solum actiuosa est, cum in obicem non offendit, secus latens ac ligata. Unde duo innotescere affirmat laudatus auctor: a) cur sacramenta characteristica iterari nequeant; b) quomodo sacramentum submoto obice reviviscere possit. Nihil equidem laudis sententiae huic detractum volo: suis tamen ea quoque non caret difficultatibus. Alia inter adverti de ea posset: cum Concilium Trid. doceat, sacramenta non ponentibus obicem conferre gratiam, consequens videtur, eam ponentibus obicem non conferri, nec latentem quidem ac ligatum; nam hac quoque collatâ, gratia reipsa conferretur.

Sed haec per summos apices attigisse satis sit, ne penitus praetermissa videantur.

10. Excursus in castra adversariorum.

Erit fortasse qui expectet a me, ut in castra excurrens adversariorum manus cum illis conseram, et vibrata in doctrinam catholicam tela retundam. At vero id heic et nunc nec opportunum, neque omnino necessarium existimo: non opportunum, ob angustos, qui tractationi huic defixi sunt limites; non etiam necessarium, tum quia sincera veritatis expositio simul erroris est confutatio; tum quia agone hoc nobilissimi athletae, Bellarminus, Moehler alique cum immortali nominis sui laude sunt defuncti. Unum igitur, quod citra brevitatis dispendium agere licet, illud est, ut campum, quem adversarii occupant, indicem, et quam praecipiti stent loco, quamve invalida sint intra quae se se receperunt munimenta, indigitem. Omnis porro illorum de sacramentis doctrina profligit e praepostera,

quam de natura iustificationis commenti sunt sententia. Haec *πρωτον ψεύδος* est, quo fatali, ut ita dicam, necessitate impulsu fuere ad omnem sacramentis vim detrahendam, adque ad ipsam divinitus stabilitam salutis oeconomiam subruendam. Quodsi enim iustificatio, ut novatores contendunt, non in sanctificatione interna, sed in sola consistit iustitia Christi per fidem apprehensa et externe imputata: tum sane consequens est, sacramenta si quae existunt, nil nisi nuda posse symbola esse ad excitandam nutriendamque fidem instituta, aut pignora iustitiae per fidem imputatae, aut signa in ordine ad coetum religiosum, ad quem quis pertinet: occur enim credatur ordinata fuisse media quaedam gratiae et sanctitatis in homine efficiendae, si haec reipsa non confertur? Ast veram internamque sanctitatem a Deo impendi hominibus, Scriptura tam copiosis tamque luculentis dotet effatis, ut id qui inficias ire velit, merito laesae religionis reus habendus sit ¹⁾. Huius autem sanctitatis producendae si sacramenta non sunt instrumenta, omnem Scripturae traditionisque auctoritatem repudiemus est necesse; uterque enim hic doctrinae christianae fons eam sacramentis efficaciam irrefragabiliter asserit. Ceterum novatores magnum causae suae praesidium in eo reponunt, quod dogmati catholico sensum affingant a mente ecclesiae toto coelo alienum. Contendunt nempe sacramenta ex opere operato agere apud nos tandumdem esse, ac ille causas esse principales gratiae; et centies licet declaratum sit, non aliam nos in sacramentis agnoscere efficaciam nisi instrumentalem causae principali Deo subordinatam: eandem nihilominus fabulam recinere non desistunt. Affirmant alii, insidere nobis persuasionem, quasi sacramenta vi

¹⁾ Die heilige Schrift redet überhaupt von der Heiligung in so starken, vollen Ausdrücken, prägt deren Charakter in solchen Bildern aus, dass es eine wissenschaftliche und religiöse Blasphemie ist, an eine bloss äussere Scheinheiligkeit, und nicht an eine volle, wahrhafte Heiligung aus der innersten Lebensmitte, der tiefsten Wurzel unsers Wesens heraus zu denken. Klee, kathol. Dogmat. 2. Aufl. III. Bd. p. 92.

suâ naturali animos sanctificent; atque in absurda hac opinione perstringenda errorisque convincenda mirum, quantum sibi complacent. Ast contra umbras et spectra depugnant; omnes enim catholici cum s. Basilio ²⁾ profitentur: «Quod si quae sit in aqua gratia, non ex natura aquae sit, sed ex praesentia spiritus.» Plane vero iniurii sunt, dum fingunt docere nos, sacramenta ex se ipsis conferre gratiam nullis in suscipiente fidei, spei, et aliarum virtutum actibus requisitis; quis enim catholicorum ita umquam sensit? Immo noverunt omnes, dispositiones quasdam in adultis ad percipiendam sacramenti gratiam tamquam conditiones necessarias deposci; id solum negant, dispositiones quantumvis praeclaras ut causas effectrices gratiae haberi posse. Sed piget pluribus persequi cavillationes et praeiudicatas opiniones toties iam a summis vivis tantâ evidentia tantoque argumentorum pondere protritas, ut, siquidem adversarii uno veritatis pernoscendae studio ducerentur, ex obvio doctrinae catholicae enchiridio praeiudicia sua dedoceri potuissent, debuissentque.

Die kirchlichen Anordnungen

über

die liturgischen Bücher: Das Brevier, Missal und Ritual.

Nur die liturgischen Bücher, welche die priesterlichen Functionen enthalten, nicht aber die für die Pontifical-Akte, und nur die Frage über die Verpflichtung zu ihrem Gebrauche und zur Befolgung des von ihnen bestimmten Ritus im Allgemeinen, sollen uns hier beschäftigen. Der Hauptsache nach soll eine Er-

¹⁾ Lib. de Spiritu s. c. 15.